uitriolum romanum, & ſimilia. A nõnullis uero fit humiditatis corruptæ in oſſis ſubſtantia cõtentæ cõſumptio & reſolutio medicinis his quæ cauterio proportionantur, uidelicet oleo feruẽti, radice aſphodelorum ignita ualde, cum uino, ſulphure ignito, aqua per quam fit ſeparatio auri ab argento. Tu tamen de membri ulcerati nobilitate, & ad membra nobilia propinquitate, & ſimiliter de prædictorum medicaminum fortiori & & debiliori potentia conſidera, ne ex eorũ applicatione in membro ulcerato cadet error. Quot igitur ſint impedientia curationẽ ulcerũ, & quibus diuerſis modis impediant, & per quæ ſigna impedientia occulta cognoſcantur, quæ ad theoricam pertinent curationis ulcerũ: ad hæc autem quæ ſint, & quot ſint ingenia auferẽtia pręfata impediẽtia, quia tria, ſcilicet potio, diæta, & chirurgia, tam generaliter in quadã ſumma, quàm particulariter circa unũquodq̃, quod ad practicam attinet, in hoc noſtro compendioſo libello qui de cura ulcerum exteriorum inſcribitur, quę eſt chirurgiæ pars, ſufficienter dictum eſt.

ANGELI BOLOG. LIBRI DE CVRA VLCERVM FINIS.

ANGELI BOLOGNINI DE VNGVENTIS QVAE communis habet uſus practicantiũ hodiernus in ſolutæ cõtinuitatis medela, Liber.

PRAEFATIO.

Vm in florentiſſimo Bononienſi ſtudio, à Senatu Bononienſium ſtipendio adductus fuerim, ut chirurgiæ principis lectiones non paucæ ſcholaſticorũ multitudini publice profiterer, eorũ & doctorum quidẽ maior pars ingeminatis indies precibus, ut quæ

unguenta communis habeat uſus practicantiũ hodiernus in ſolutæ cõtinuitatis medela, & quonam modo & uia ea unguenta ſolutis cõtinuitatibus applicata, in illis operationes à medico intentas inferant, deinde in quo tempore ſolutis cõtinuitatibus applicãda ſunt, poſtmodum quonam modo & quo in loco applicari habeant, adhuc quanto tempore in eorũ applicatione cõtinuandum erit, ultimo eorum deſcriptionem & componendi modum deſcribere uellem, & eis cæteræq; ſtudioſæ iuuentuti imprimi curarem, ſæpiſſime me efflagitauit. Aſſiduis igitur eorum debitis ac precibus non obtemperare arbitratus ingratiſſimum, his paucis, nõ omnia, ſed quæ opportuniora & meliora ad rem uiſa ſunt dicens, ero contentus.

Quot & quæ ſint unguenta in communi practicantium uſu. Caput I.

VNguentorum quæ ſunt in communi practicantium uſu pro curãdis ſolutis cõtinuitatibus, quædam ſunt quæ pluribus membris, quædã quę pluribus ſolutis cõtinuitatibus ſunt cõmunia: alia quæ uni determinato membro, nonnulla uni ſoluti continuitati tantum ſunt propria. Quæ pluribus membris pluribusq; ſolutis continuitatibus ſunt communia, dicuntur eſſe hæc, uidelicet unguenta defenſiua, unguẽta digeſtiua, unguenta mundificatiua, quæ unguenta nõ magis uni particulari membro determinato quàm alteri, & ſimiliter non magis uni particulari ſolutæ cõtinuitati determinatæ quàm alteri, ſunt appropriata, nec pro illis principaliter inuenta, ideo in hac parte cõmunia dicuntur. Quæ uni membro determinato ſunt propria, ſiue illi appropriata, ſunt unguẽta capitalia, quæ pro curandis ſolutis continuitatibus in capite tantũ contingentibus principaliter fuerunt inuenta. Quæ uni ſolutæ continuitati ſimiliter ſunt propria & appropriata, ſunt unguenta Mercurialia, quæ utiq; procuranda ulcera quadam ſcabie miro quodã modo reperta ſunt.

De

De *unguentis defensiuis.* Caput II.

A Communioribus rationabiliter incipiens tanq̃ notioribus, de unguentis defensiuis dicendum, quorum officium & operatio est quũ frigidis & stipticis sint composita, frigiditate sua & stipticitate sanguinem fluentem & humores admixtos sanguini, congelare, condensare, & ingrossare, & sic ex eorũ tali acquisita substantia, ineptos fluxui reddere, necnon substantiam mẽbri patientis inspissare, porositatesq̃ ipsius constringere, caliditatem eius attractiuam refringere, uirtutes membri læsi unire, & unitas fortiores in suis operationibus reddere, uidelicet in expellendo maxime, & sic ex his defluentes humores loco soluto copulari prohibere. Virtus enim unita, fortior est seipsa dispersa: quod idem est, omnis potẽtia manens impartibilis, maior est. Humoribus itaque in fluxu, seu de proximo influere existentibus, applicẽtur defensiua in parte sana, uidelicet ea parte qua existunt uiæ & ductus per quos defluunt humores & spiritus ad locum læsum. Quibus defensiuis continuandum erit donec & usq̃ humorum defluxus cessauerit, quod comprehendi poterit priuatione doloris, delitescentia tumoris, si apparuerint, bonitate saniei in substantia & qualitate, ipsiusq̃ proportionata ulceri quantitate: quorum plurimæ describẽtur formæ, quarum prima forma erit unguenti defensiui cõmunis, quæ talis est: R. olei rosati ℥.i.s. myrtini ℥.s. ceræ albæ ʒ.vi. boni ponderis, boli armeni ℥.s. sang. drac. terræ sigillatæ, ana ʒ.i.s. Cõterendorum unumquodq̃ per se primo, subsequenter commixta in unum in mortario subtilissime cõterantur (& non ab re, dum dicitur unguentum subtile & emplastrum grossum) & per setonem subtilem transmittãtur, dissolutaq̃ cera in oleis ad ignem lentũ & ferè infrigidatis dentur pulueres, ducendo tale commixtũ cõtinue baculo usque ad ultimã infrigidationẽ. Vltimo in aqua rosata, seu aceto rosato infundatur & abluatur. Tale autem defensiuũ sub tali

forma administratum, consuetum est non remutari nisi de tertia in tertiam diem, applicando ipsum eo modo & loco quibus suprà. Solet præterea à quibusdam pro unguento defensiuo cõmuni, & alijs unguẽtis defensiuis particularibus, in nõnullis particulis humani corporis (licet in omnibus etiam) linimentum unguento supra scripto proportionatũ administrari, cum nõ in illis particulis accõmodate unguentũ administrari possit, cuius forma erit hæc: R. olei ros. unc. ij. boli arm. unc. i. aceti drach. i. misce, & in mortario tale aggregatum ducatur, factaq; eorũ simpliciũ adinuicem bona permixtione, eo liniméto partes circunstantes uulneri siue ulceri spatio triũ digitorũ illinantur, cooperta prius tamen solutione cõtinui, tentis, licinijs, seu faldellis & petijs emplastratis unguento, seu unguẽtis solutæ cõtinuitati illo tunc tempore conuenientibus & opportunis: quæ linitio omni tempore medelæ præstitæ reiteranda est. Ab alijs uero tempore magni æstus & caloris, seu infirmorũ inopia, loco unguenti defensiui, & similiter linimenti de quibus suprà, subministrãtur nõnullæ defensiuorũ formę, sub forma embrocæ: quarum prima erit hæc: R. succi solatri partes duas, plantaginis partẽ unã, aceti parum, misce. Infusa petia una in tali aggregato & aliqualiter expressa, partes circũstantes solutæ continuitati embrocentur, & extensa supra membrũ usq; ad tempus mutationi congruũ permittatur: & iterũ imbibita in tali medicamento applicetur, cooperta prius soluta continuitate tentis, faldellis, ut suprà habitum est. Alia forma: R. aquæ rosatæ unc. iij. aceti unc. s. misce, & applicetur ut suprà. Alij aliter defensiua loco & tempore quibus suprà applicãda applicãt, & hoc modo tali, uidelicet loco ex oleo rosato circũquaq; inuncto, eidem pulueres sanguinis draconis & boli armeni hincinde superasperguntur, & eorũ digitis non ualde comprimentibus prædictos pulueres leniunt & dissoluunt.

De

De *unguentis digeſtiuis.* Cap. III.

DEſcriptis nonnullis in defenſiuorum materia, de quibus in prooemio nos declaraturos eſſe diximus, nunc de unguentis digeſtiuis dicendum, quorum officiũ & operatio eſt tam in uulneribus, quàm in ulceribus indigeſtis & crudis, ſui caliditate cum humiditate & unctuoſitate permixta, præparare ad expulſionẽ, caliditate digeſtiuam uigorando, multiplicato calore naturali, & humiditate & unctuoſitate diſponendo ad alterationem ſimilem illi quæ fit in generatione ſaniei cum putrefactione permixta, molliẽdo & leniendo. In uulneribus dico ſanguinem, & ſuperfluitates admixtas ſanguini, congelatum ſeu conſtrictũ in extremitatibus uenarum notabiliũ, & capillarium partiũ ſolutarũ, & in locis proximis ambientibus ipſam ſolutã continuitatem, quæ ſanguinis congelatio & conſtrictio conſecuta fuit applicatione albuminis oui, ſiue frigiditate aëris circundantis, ſeu alia de cauſa. Et ſimiliter præparant ad expulſionem ſuperfluitates quæ aggregantur in loco, partim per uiã defluxus, uirtute expulſiua forti membrorum, potentiũ ſuas ſuperfluitates ad membrum debile expellere, partim per uiam congeſtionis, uirtute digeſtiua & expulſiua debili membri patientis. In ulcerationibus uero crudis & indigeſtis, præparant ad expulſionem humores digeſtioni rebelles ſui cruditate, heterogeneitate ſeu forte multitudine. Exiſtentibus igit̃ uulnere in ſua ſecunda ſiue tertia die, ulceratione indigeſta & cruda in ſuo tempore, applicentur digeſtiua, replendo uulnus ſiue ulcus tentis, faldellis ſeu licinijs & petijs in ipſo digeſtiuo intinctis. Quibus digeſtiuis procedendum erit in eorũ adminiſtratione, donec & uſquequo tibi uiſum fuerit ſanies ex ipſa ſoluta continuitate proportionata reſudari, quæ ut plurimum in uulneribus hyemis tempore ſextam ſiue ſeptimã, in æſtate quintã ſiue ſextã diem inſequitur. In ulcerationibus uero procedendum donec præ cæteris dolor & tumor delitue-

rint cum præsentia saniei laudabilis in substãtia & qualitate, quorum digestiuorum plurimæ describentur formæ, quarum prima erit unguenti digestiui communis, quæ talis est: R. uitellorum ouorum numero. i. olei ros. unc. i. misce. Alia forma: R. terebinthinæ unc. i. s. uitellorum ouorũ numero. v. olei ros. unc. s. misce: huic composito potes addere parũ croci si placet, & erit magis in suis operationibus efficax, & in sedatione doloris præstans. Alia forma: R. terebinthinæ lotæ unc. ij. uitellorum ouorum numero. ij. croci scrup. s. olei ros, unc. s. farinæ ordei. q. s. ut bonæ formæ & compositionis reddatur. Alia forma magistralis: R. axungiæ porci liquefactæ siue butyri, unc. i. s. ceræ albæ terebinthinæ, ana unc. s. croci scrup. s. dissolutis axungia siue butyro & cera simul, & ultimo terebinthina, & quasi infrigidatis detur crocus, & ducatur aggregatum ex his baculo, donec ad ultimã infrigidationẽ deueniat. Item alia forma satis mihi domestica in ulceribus & in uulneribus etiã à tertia siue quarta die citra administranda cum humiditate & unctuositate exiccationi permixta participet: R. unguenti basilico. serap. ℥. i. dialtheæ ℥. s. misce.

De unguentis mundificatiuis. *Caput* IIII.

CVm unguẽta mundificatiua ea denominãda sint, quæ solutas continuitates mundas reddunt, ea propter non immeritò hoc in loco dicendum esse puto, mundificatiuum tripliciter sumi posse, uidelicet large, stricte, & strictissime. Si large sumat̃, sic omnia unguenta quæ habent mundare solutas cõtinuitates, siue mundent eas à sanie, crustis, escharis, siue squamis, carne molli, carne putrida, carne ostracata, & sic de alijs, mũdificatiua dici poterunt. Si autem stricte sumatur, mundificatio ex unguentis celebrata proprie solutæ continuitati ulcerosæ tantum competat. Sic ea dici poterũt mundificatiua stricte, quæ habent ipsum ulcus mundare ab altera duarum superfluitatum, solutas continuitates ulcerosas insequentiũ: ex quarum præsentia tale ulcus interdum

terdum ſortitur denominationē, ut à ſanie ſubtili qua ulcus uirulentum denominatur, ſeu à ſanie groſſa qua ulcus ſordidum. Si ſtrictiſſime, ſic ea unguenta quæ habent mūdare ſolutas cōtinuitates ulceroſas à ſuis proprijs ſuperfluitatibus ſimul & collectiue, uidelicet à ſanie ſubtili & groſſa ſimul, quæ duæ ſuperfluitates ſecundū plurimum ſolutas continuitates ulceroſas inſequuntur. Non cōtrahentes tamen tale ulcus ad aliquā differentiā determinatā, mundificatiua ſtrictiſſime denominānda ſunt. Data hac mundificatiuorū diſtinctione, de mundificatiuis ſtrictiſſime ſumptis, de quibus in hac parte principaliter fit ſermo noſter, ſubſequenter de ſumptis ſtricte, ultimo de ſumptis large dicendum erit. Officium itaque & operatio unguentorum mundificatiuorum eſt ſolutas continuitates mundas reddere. Et cum in ſolutis continuitatibus ulceratis, ut ſupra dictum eſt, duæ ſuperfluitates inueniri ſoleāt, una ſubtilis, altera groſſa: ſubtilis quæ exiccantibus curaī, groſſa quæ attenuantibus & diſſoluētibus, hoc eſt abſtergentibus: quapropter mundificatiuum ſtrictiſſime ſumptum ex exiccantibus & abſtergentibus ſimul & collectiue componi habeat. Apparente itaque in ulcere ſanie ſubtili & groſſa, repleaī ulcus tentis, lichinijs ſeu faldellis, emplaſtris, unguento mundificatiuo ipſis ſuperfluitatibus proportionato ſecundū prædominium unius ſuperfluitatis ſuper alteram: quibus continuandum erit donec locus mundificatus fuerit: quod non falſo comprehendere poteris, dum ſaniei diminuta quantitas, ipſiusq; in ſubſtantia & qualitate perfecta laudabilitas affuerint, quorum plurimæ annotabūtur formæ, quarum prima erit hæc: R. terebinthinæ unc. ij. mellis roſati colati unc. i. myrrhæ drach. i. thuris, ſarcocollæ, ana drach. ij. Vnumquodque eorum quæ conterenda ſunt in mortario per ſe primo, ſubſequenter cōmixtis in unum ſubtiliſſime conterantur, factaq; deinde bona permixtione adinuicē mellis & terebinthinæ in cazola

ad ignem lentum, & ab igne depositis & penè infrigidatis, dentur pulueres, ducendo tale cõmixtum baculo usque ad ultimam infrigidationem. Alia forma: R. unguenti rasini unc. ij. mellis rosati colati unc. i. dissoluto unguento in cazola ad ignem lentum, & addito melle, ducendo ea baculo, fiat illorum ad inuicem perfecta mixtio. Alia forma, & dicitur unguentum de dialthæa patris mei: R. terebinthinæ, unguẽti dialtheæ, ana unc. i. ceræ, resinæ pini, ana drach. v. scrup. i. butyri, boli armeni, ana unc. i. s. floris æris drach. i. s. misce. Alia forma: R. unguenti basiliconis unc. ij. mellis ros. col. unc. i. fiat eo modo quo suprà. Et hæc pauca ex unguentis mundificatiuis strictissime sumptis connumerata sufficiant: nunc ex unguẽtis mundificatiuis sumptis stricte nonnulla connumeranda erunt, quorum aliqua erunt consumptiua saniei subtilis, alia dissolutiua & attenuatiua saniei grossæ, hoc est absterstiua: & eorũ quæ erunt consumptiua saniei subtilis, alia erunt ad caliditatẽ declinantia, alia ad frigiditatem. Quæ uero erunt consumptiua saniei subtilis, & ad caliditatẽ declinantia, eorum prima forma erit hæc, & dicitur unguentũ resinatũ: R. resinæ pini, terebinthinæ, ceræ citrinæ, olei cõmunis, ana unc. iij. dissoluta cera, & resina, & oleo, & ultimo terebinthina in cazola ad ignem lentum, & colatis per setarium infrigidari permittat, & usui seruetur. Alia forma, & dicitur unguentũ basilcon maius, siue uasilicon seu imperiale siue macedonicum: R. ceræ albæ unc. ij. resinæ pini, terebinthinæ, ana unc. s. sepi uaccini, picinaualis, thuris, myrrhæ, ana drach. ij. ℈. ij. olei communis unc. iij. Quæ sunt conterenda primo per se, subsequenter simul & in unum in mortario cõterantur, deinde in cazola ad ignem lentũ, oleum, sepum, ceram, resinam, ultimo terebinthinã, subsequenter picem imponito, & omnibus dissolutis & colatis per petiam siue setariũ, & ferè infrigidatis dẽtur pulueres, & cum baculo tale aggregatum tandiu ducito donec infrigidetur. Alia forma

ma, & dicitur unguentũ aureum: R. ceræ nouæ unc. i. olei communis unc. iiij. terebinthinę unc. s. picis græcæ drach. ij. thuris, mastiches, ana drach. i. scrup. i. croci ℈. s. subtilissime puluerizet mastiche, pix, & thus. Vnumquodq; istorum per se primo, subsequenter mixtis in unum in mortario, & dissoluta cera in oleo, & ultimo terebinthina, & penè infrigidatis dentur pulueres, subsequenter crocus, ducendo tale cõmixtum baculo, donec eorum simplicium fiat perfecta mixtio, & tandem ultimata infrigidatio. Quæ autem erunt saniei subtilis consumptiua siue exiccatiua, & ad frigidum uergẽtia, eorum forma prima erit hæc, & dicitur unguentum de ceruſſa album: R. olei rosati, ceruſſæ puluerizatæ per setarium, ana unc. ij. ceræ albæ drach. vi. dissoluta cera in oleo in cazola ad ignem lentũ, & ab igne depositis, & quasi infrigidatis, pone ceruſſam puluerizatã, & ultimo lauetur cum aqua rosata. Alia forma: R. olei ros. ceruſſæ puluerizatæ per setariũ, ceræ albæ, ana unc. i. fiat eo modo quo suprà, præter quod non lauetur cum aqua rosata, neque re alia. Alia forma: R. olei rosati, ceruſſæ puluerizatæ ut suprà, ceræ albæ, terebinthinæ, ana ℥. ij. dissoluatur cera in oleo, deinde terebinthina, quibus dissolutis, & quasi infrigidatis, adde ceruſſam, & usui reserua. Alia forma: R. ceræ albæ, olei rosati, ceruſſæ puluerizatæ per setarium, terebinthinæ, ana unc. ij. minij unc. i. s. dissoluta cera in oleo, & ultimo terebinthina, & penè frigidatis, adde ceruſſam & minium cõmixtis in unum, & ducatur tale aggregatum baculo, donec ultimate infrigidetur. Alia forma, & dicitur unguentũ de plumbo, per me Saturninũ: R. antimonij, ceruſſæ, ana ℥. s. plumbi usti, lithargyri, terebinthinæ, ana ℥. i. olei rosati ℥. ij. ceræ albæ ℥. i. s. Quæ sunt conterenda, subtiliter eo modo quo suprà contere, & per setariũ subtiliter cribra, dissolutaq; cera in oleo, & ultimo terebinthina, quibus dissolutis, & penè frigidatis dentur pulueres, & ducatur tale aggregatũ baculo,

donec eorum fiat perfecta mixtio & ultimata infrigidatio. Alia forma, & dicitur unguentum de tuthia, siue diapomphilicon: R. olei rosati, ceræ albæ, ana ℥.v. succi granorum, solatri ℥.iiij. ceruſſæ lotæ ℥.ij. plumbi uſti, tuthiæ præparatæ, ana ℥.i. thuris ℥.s. quæ ſunt terenda in mortario ſubtiliter tere eo modo quo ſuprà, & per ſubtilem ſetarium tranſmittantur, diſſolutaq; cera in oleo, & quaſi infrigidatis dentur pulueres, ducẽdo tale aggregatũ baculo, donec ultimate infrigidetur: poſtremo ponatur tale unguentũ in mortario cum ſucco ſolatri, & tandiu cum piſtillo ducatur, donec ſucci & unguenti adinuicem fiat perfecta unio & incorporatio, & uſui ſerueť. Et quia multoties accidit applicatione iam dictorum unguentorũ & aliorum ſimilium, licet hæc ad frigidũ & ſiccum ſint uergentia, in ſolutis cõtinuitatibus caro mollis generari ex eorũ ſubſtantia unctuoſa & oleaginoſa remolliente partis ulceratæ ſubſtantiam, ideo hoc in loco dignum mihi eſſe uidetur nõnulla unguenta enumerare, ut ab errore præfato tuearis, quorum ſubſtantia non ita oleaginoſa & unctuoſa exiſtit, imò in ſubſtantia quaſi ceratis ſimillima eſt: & eorũ prima forma erit unguentũ de minio, cuius deſcriptio talis eſt: R. olei roſati ſiue cõmunis, terebinthinę, ana ℥.ij. ceræ citrinæ ℥.iiij. minij ℥.vi. ſubtiliato minio in mortario, & per ſetarium tranſmiſſo, diſſolutisq; cera, & ultimo terebinthina in oleo ad ignem, & ferè his tribus infrigidatis & per petiam colatis, detur minium, ducendo tale aggregatum baculo uſq; ad infrigidationem ultimam. Alia forma unguenti ſubſtantiæ tenentis medium inter molle ſeu oleagineum, & durum ſiue terreſtre, & dicitur unguentum de ceruſſa coctum: R. ceruſſæ puluerizatæ per ſetarium, ceræ albiſſimę, ana ℥.i. olei communis ʒ.iij. terebinthinæ ʒ.i. diſſoluta cera in oleo, & ultimo terebinthina in cazola ad lentũ ignem, & ab igne depoſitis & quaſi infrigidatis detur ceruſſa: ultimo uero loco manibus in aqua roſ. infuſis malaxe-

tur

tur, & usui tuo reseruetur. Alia forma unguenti præfatæ substantiæ, alijs quibuscunq; eiusdem tamen rationis præualens: & dicitur unguentum nigrum descriptione patris mei: R. cerussæ puluerizatæ per setarium, lithargyrij puluerizati subtiliter, ana ℥.i.s. ceræ citrinæ ℥.s. olei communis unc.iiij.s. Positis cera & oleo in cazia una capacitatis satis magnæ ad flammã ignis lignorum & non carbonum, & tandiu teneantur super ea donec illa notabiliter ferueant, & subsequenter ponantur in illis feruentibus cerussa & lithargyrũ, & ducantur cõtinue baculo, ne ea feruendo fundo caziæ adhæreant, & in tantum bulliant usquequo tale aggregatum ad colorem liuidum deueniat, & tunc subitò ponatur gutta una ipsius aggregati super marmore aut ferro seu re alia frigida, & infrigidari permittatur. Infrigidata considerare habeas utrum talis gutta sit substantiæ mollis & oleaginosæ, siue duræ & terrestris, seu inter ista duo tenentis medium, uidelicet inter molle & oleaginosum, siue durum & terrestre. Si uero extiterit substantiæ tenentis medium inter illa duo iam dicta, tunc tandiũ tale aggregatum ferueat, donec ad colorem nigrum deueniat. Si substãtiæ duræ & terrestris fuerit, tunc detur aliquantulũ de oleo, & tanto tempore bulliat donec prædictam substantiã & colorem assumat, superaddendo de oleo bis siue ter, & fortè pluries secundũ opportunitatem. Tamen consilium meum est circa hoc, quod esto magis parcus in effundendo oleum, quàm abundans. Melius est reiterare uices olei, quàm indebitam quantitatem infundere. Si autẽ substãtiæ mollis & oleaginosæ affuerit, tunc taliter ferueat donec colorem nigrum, & substantiam inter illa duo iam dicta tenentem medium attingat. Quæ uero erunt saniei grossæ attenuatiua & dissolutiua, hoc est absterſiua, eorum prima forma erit unguenti mundificatiui de melle, cuius descriptio talis est: R. mellis rosati unc.i. iridis subtilissime puluerizati drach. ij. misce. Alia forma, & erit unguenti mundifi-

catiui de ſucco apij: R. terebinthinæ unc. ij. mellis roſati colati unc. i. s. ſucci apij unc. i. farinæ ordei q. s. Fiat in cazola ad lentum ignem perfecta mixtio mellis, terebinthinæ, & ſucci ad inuicem, & in fine adde tantundem farinæ ordei donec ad formam unguẽti extenſibilis deueniat. Alia forma, & erit unguenti mundificatiui de ſucco abſinthij, quæ fit eodem modo quo fit unguentũ de ſucco apij. Sint hæc de unguentis mundificatiuis ſumptis ſtricte, dicta ſatis: de unguentis modo mundificatiuis large, nonnulla aſſignanda erunt: quorum prima forma erit unguenti mundificatiui ſolutæ continuitatis ulceratæ à carne molli, non iam habente aliquem putrefactionis gradum, ſed bene de proximo ad putrefactionem diſpoſita: & tale dicitur unguentum apoſtolorum ſeu uenereum, cuius deſcriptio talis eſt: R. ceræ albæ, reſinæ pini, armoniaci, ana drach. xiiij. opopanacis, floris æris, ana drach. ij. ariſtolochiæ longæ, thuris, bdellij, ana drac. vi. myrrhæ, galbani, ana drach. iiij. lithargyrij unc. i. olei cõmunis ℔. i. Quæ ſunt puluerizanda primo ſeorſum & diuiſim puluerizentur ſubtiliter, ſubſequenter cõmixtis in unũ, deinde diſſolutis in oleo ad ignem lentum reſina & cera, per ſetarium colatis & quaſi infrigidatis dentur prædicti pulueres, eos inſimul permiſcendo: poſtmodum addantur gummi præparata præparatione qua præparari ſolent: ultimo inceſſanter tale aggregatũ baculo ducatur, & infrigidari permittatur. Alia forma conſimilis præfatæ in operationibus, & dicitur unguentum damaſcenum: R. unguenti reſinati unc. i. floris æris ſcrup. i. diſſoluto unguento in cazola ad ignem lentũ, & ab igne depoſito & penè infrigidato detur flos æris, ducendo tale aggregatũ baculo, donec eorum fiat inſeparata mixtio, & tandem ultima infrigidatio. Forma una unguenti mundificatiui ſolutæ continuitatis ulceratæ, à carne iam habente gradũ confirmatum, imò gradus corruptionis & putrefactionis: quod unguentum, ut quidam aiunt, & ego cum eis, prohibet

ambu=

ambulationem, facit cadere quod eſt putrefactũ, & ſeruat illud quod ſequitur ipſum. Tale uero unguentum ægyptiacum denominatur, cuius deſcriptio: R. mellis crudi, aceti, æris, aluminis rochini, floris æris, ana unc. i. puluerizanda ſubtiliter in mortario puluerizentur, ut ſuprà de alijs. Subſequenter omnia in mortario ducantur donec eorum fiat mixtio concedens, deinde ponantur in cazola ad ignem lentũ, ducendo cum ſpatula tale aggregatum, & ſeparando illud à parietibus cazolæ ne comburatur, & tandiu bulliat donec ad colorẽ rubrũ, & ſimiliter ad ſubſtantiã denſam & nullo modo raram & fluxilem deueniat. Si enim tale aggregatũ eſſet ſubſtantiæ raræ & fluxilis, duo non opportuna in eius adminiſtratione cõtingerent. Vnũ, quod in eo ſolutæ continuitati applicito, in ſpatio temporis minimi ad actum fluxilitatis reduceretur, & ſic in ea tam paruo tempore nõ operationes à medico exoptatas inferret. Aliud, quũ de ratione grauis & terreſtris ſit inferiora petere (conſeruato eo unguento in aliquo uaſe) alumen, mel, & flos æris, tanquã terreſtria grauia & groſſa ipſius uaſis fundum peterent: acetũ uero, & maxime ipſius aceti ſubſtantia ſubtilis, ſuperficiẽ. Quare dum crederes tale aggregatum adminiſtrare, tantũmodo per te acetum adminiſtraretur, derelicta baſi & radice ipſius aggregati, quia melle, alumine, & flore æris, niſi per te prius eorũ permixtio fieret. His uero rationibus moti, confirmamus eius ſubſtantiã denſam & terreſtrem utiliorem & magis collaudandã fore. Forma una unguenti mundificatiui ſolutæ cõtinuitatis ulceratæ à carne oſtracata, calloſa & dura, quod unguẽtũ diaberich à quibuſdã denominatur, per me martiale, cuius deſcriptio talis eſt: R. argenti ſublimati, unguenti populei ſeu dialthææ, quæ dialthæa multum acuitatẽ ſublimati refringit, ana partes æquales quo ad oculum, conteratur ſubtiliter ſublimatum in mortario, ſubſequẽter addatur unguentum dialthææ ſeu populeũ, & tandiu ſimul conterantur do-

nec eorũ fiat mixtio concedens. Et hæc ſatis ex unguentis quæ pluribus membris pluribusq; ſolutis continuitatibus ſunt communia. Nunc autem tractandum erit de unguentis, quæ uni determinato membro, & ſimiliter de illis quæ uni ſolutæ continuitati tantũ ſunt propria: & primo de illis quæ uni determinato mẽbro ſunt propria ſiue appropriata. Et antequam ad ea deueniamus ne ab enumeratione unguentorũ malam complexionem remittentium, & ſimiliter unguentorũ carnem generantium, & unguentorũ incarnantium, & unguentorum cicatrizantiũ defeciſſe uidear, dicatur quod pro unguentis malam complexionẽ remittentibus recurratur ad ea, quæ de unguentis mundificatiuis ſaniei ſubtilis ſcripta ſunt: pro unguentis uero ſua primaria intentione carnem generantibus, & pro unguẽtis incarnantibus, & pro unguentis cicatrizantibus, quũ mundificationis tempore & in actu mundificandi ſæpe contingat, præter medici intentionem & medicaminis applicati uirtualem operationem, in una parte ſolutæ continuitatis ulceratæ caro generari, in alia cicatrizari, in altera mundificari: quapropter in attenta cõſideratione horum effectuum diu permanens, arbitratus ſum has operationes actione naturæ fieri, remotis tamen impedimentis, ut tota medicorũ ſchola tenet: & adhuc à continuiſſima & frequenti illorum effectuũ cõſideratione non deficiens, & circa magis mihi neceſſaria pro nunc occupatus, his de cauſis dicat, ab enumeratione unguẽtorum iam dictorum nunc ſuperſedendũ eſſe.

De *unguentis capitalibus.* Caput V.

NOn poſſum non admirari, cur priores poſteriores q; medici huius antiquæ, certæ, & non deceptoriæ, neceſſariæ & continuò honoratæ artis, nõ cuilibet determinato membro unguẽta propria & appropriata inuenerint, ſicuti capiti, pro curandis ſolutis continuitatibus in eo contingentibus inuenere, pro quo unguentum ex quampluribus proprietatibus conſtitu

tum

tum omni ſtudio compoſuere ,uidelicet aromaticitate, exiccatione,caliditate & attractione. Aromaticitate,ut fiat ipſius membri dilatatione animæ & ſpiritus confortatio;exiccatione uero ſuperfluitatũ conſumptio,complexionis naturalis membri cõſeruatio.Omne enim ſimile à ſuo ſimili cõſeruat.Caliditate,innati caloris membri naturaliter debilis uigoratio, conſeruatio & multiplicatio:attractione autem ſuperfluitatũ extranearum in profundo ſolutæ cõtinuitatis exiſtentium ad exteriora euulſio. Ecce quàm poſteriores medici hac tempeſtate noſtra laborauere in inueſtigatione præfati unguenti pro conſeruatione complexionis, & uigoratione caloris naturalis iſtius membri, præſupponentes ea maxime fore baſim & fundamentum ferè requiſitæ curationis: quod unguentum adminiſtrandum erit dum ſanguis ex ipſa ſoluta cõtinuitate penitus fuerit reſtrictus: quia ſua ſecunda die cõputata ab hora percuſſionis, emplaſtratis ex eo lichinijs ſeu faldellis, & magna una petia occupante de parte ſana per ſpatiũ quatuor digitorum ſecundũ omnem differentiam poſitionis:quæ lichinia,faldellæ & petiæ emplaſtratæ in oleo roſato infundantur, & aliqualiter exprimantur, & loco actu calida taliter præparata applicentur,donec appareat in loco ſoluto aliqualis digeſtio & doloris penitus remiſſio, & tunc oleo poſtpoſito eo ſolo unguento continuetur donec & uſqꝫquo ab accidentibus malis tutus fueris, & caro iam cuti quaſi adæquata fuerit,& ad alia medicamenta eiuſdem tamen rationis deueniendũ erit,his duabus rationibus moti, prima,cum natura tali permutatione gaudeat,ſecunda,ut uidearis non uno ſemper medicamento procedere, ſed diuerſis,ex quib.infirmi & aſtantium ſpes ſalutis corroboratur. Et tunc ad cerota tranſeundum,quæ unguentis præſtantiora erũt in cura,ſtante carne iam quaſi adæquata cuti, & hoc cum non oleaginoſitate & unctuoſitate participẽt, quibus fit aliqualis refractio aromaticitatis & exiccationis unguento-

rum. Descriptio eius talis est: R. terebinthinæ, resinæ pini, olei communis siue rosati, ceræ nouæ, ana unc. vi. betonicæ, matrissyluæ, ana ℔. s. hoc est unc. vi. uini albi potentis & odoriferi ad aliqualem dulcedinem tendentis q.s. pro sepultura herbarum: betonicam & matrissyluam minutim incidito, deinde ea in mortario aliqualiter contundito, & sic præparata in uino albo odorifero infundito, quæ duo stent in tali infusione per dies tres naturales, & forte plures, miscẽdo prædictas herbas & uinum omni die bis siue ter: postea prædictum uinum cum prædictis herbis sumito, & in caldario siue cazia magna, & similiter terebinthinam, oleum, resinam, & ceram imponito, & tandiu ad lentum ignem simul bulliant, permiscendo ea baculo ne fundo caziæ adhæreãt donec uini fiat consumptio, postmodum per setarium siue petiam raræ substantiæ colentur, & exprimantur in catino uitreato, & in eo infrigidari permittãtur: infrigidatis iterum ponãtur in una cazia ad ignem & dissoluantur: quibus etiam dissolutis, addantur sarcocollæ, myrrhæ, ana partem unam, gummi, eleni partes iij. ita quod uni libræ unguenti correspondeãt istorum trium puluerizatorũ unc. ij. & aliqualiter bulliant, & iterum colentur, & unguentũ ex his iam dictis simplicibus & modis constitutum usui seruetur. Forma una ceroti capitalis præ alijs nobilior constituatur ex modis & simplicibus iam dictis ad inuicẽ proportionatis, præter oleo, quibus unguentum capitale præscriptum constituitur, quo constituto manibus oleo inunctis malaxet & usui seruetur. Alia forma ceroti capitalis: R. resinæ pini, ceræ ana unc. vi. terebinthinæ unc. xij. succi betonicæ, plantaginis, apij, ana ℔. i. bulliant succi ad inuicem cum cera, resina, in cazola ad ignem lentum, & quasi succis consumptis & exiccatis detur terebinthina, qua dissoluta & aliqualiter per ebullitionem cum illis incorporata colentur, & usui cerotum confectũ reseruetur. Et hæc de unguentis & cerotarijs quæ uni determinato mem

bro

bro ſunt propria ſiue appropriata.

De *unguentis mercurialibus.* Caput VI.

POſitis nonnullis unguẽtis & cerotis quæ membris appropriantur, hoc in loco tractandum erit de unguentis & cerotis quæ ulceribus appropriata ſunt, & maxime cuidam ægritudini ulceroſæ mali modi, cui applicatis unguentis, quæ alijs ulceribus applicari ſolent, potius compertum eſt nocumentum quàm iuuamentum. Cuius tam abſurdæ diuerſitatis dubius, & multo tempore in eius conſideratione anxius cõmorans, tandem experimento ratione cõprobato uiſum eſt per me & alios quamplures, iam dictæ ægritudinis curam fieri applicatione medicaminũ corpus à ſuperfluitatibus indeſinenter mundantium, neglectis iam dictis localibus & alijs. Qua de re nõ erit erroneum dicere, & ſine hæſitatione credere, hanc ægritudinẽ à materia antecedente & forti & continue eam fouente dependere: cuius cura, ut habitum eſt, erit euacuatio illi debita & proportionata. Quæ uero ea ſit in his & alijs in hac parte incidentaliter dicendis, conſidera. Et primo quod euacuationum per medicos ſeniores & iuniores adinuentarũ, aliæ fiunt aſſumptione ſolutiui aſſumpti per os in forma pilulari, cõfectionis, electuarij, pulueris, uel ſub alia forma. Nõnullæ linitione iliorum & uentris inferioris cum unguento arthanite uel laxatiuo, certa linitione extremitatũ. Quædã uero fiunt aſſumptione ſolutiui aſſumpti per os, & ſimiliter linitione uentris. Quæ per os, de quibus ſermocinandũ eſt, educunt ſolummodo humorem ad quem cõuertuntur, pro eo tempore quo fit retenta & digeſta medicina ſolutiua in corpore: cuius digeſtionis terminus cõmuniter eſt circa horas octo, in quo tempore interdũ educuntur omnes humores ferè peccantes, licet raro, interdũ eorum pars, educẽdo eos per ſeceſſum, & non regione alia. Quæ euacuatio mea ſententia in uno uidetur diminuta, in alio erronea. Diminuta, quia non educit continue & ſucceſſiue ſupers

fluitates donec corpus redditur mundum. Posito enim interuallo, ut res exigit, inter assumptionem unius medicinæ solutiuæ & aliam, in tempore autem intermedio fiet reaggregatio (dico in hac magna causa) tantæ humiditatis in corpore, quantæ facta fuit euacuatio per priorem medicinam, & forte plus. Præterea non educit pluralitate regionum, sed tantũ unica. Pluribus enim humoribus peccantibus uariæ substantiæ & degentis in loco longinquo & forte rebelli à uia secessus, non fiet eorum debita & appropriata euacuatio. Vnica regione, quia per secessum. Erronea, quoniam non inueniendo humorem ad quem cõuertitur, & in quem est propriũ agere, educit humiditates radicales, & illas eliquat & dissoluit, & sic est causa magni terroris & multarum ægritudinũ, senij, & mortis intẽpestiuæ. Et in actu euacuandi sæpe accidit quod mouet humores & illos non euacuat: & si euacuat, laboriose euacuat, aut euacuat plusquam oportet. Et facta euacuatione accidit interdum febris, dolor capitis, uertigo, debilitatio uisus, debilitatio stomachi, sitis, singultus, dolor stomachi, dysenteria, egestio sanguinea, tinesmos, lassitudo & debilitatio corporis: de quorum accidentium superuentu nullus admiretur, cum medicina qua fit talis euacuationis modus, malignitate & uenenositate participet, quia forte aliter non educeret. Nõ igitur mirum, si transeundo per os & membra nobilia, præfata accidentia subsequãtur. Quæ autem fiunt linitione extremitatum, educent superfluitates peccãtes tantummodo & ægritudinem fouentes, siue sint a, siue b, educendo eas continue & successiue, die noctuq́ꝫ, donec corpus redditur mundum unica regione siue pluribus, quibus habilius & commodius tales superfluitates euacuari possunt. Et quamuis hi prænominati effectus & operationes ex tali modo euacuandi consequentes, reuera digna sint non minima admiratione, eapropter ut admirantium animus sedeat, erit innotescendũ hos effectus & operationes non fieri

ui

ui medicinæ educentis illum humorem peccantem, ſed ui uirtutis expulſiuæ membrorum principalium, exper gefactæ & irritatæ à qualitate linimenti ad expellendũ nocitiua ſuperflua, ac ſi iraſcens incitaretur ut furiat: opus enim naturæ præ alijs rationabilibus ualidius & incolumius. Item innoteſcendũ ſecundo, quod non raro accidit uirtute exiccatiua linimenti quo fit prænominatus euacuandi modus, conſolidatio ulcerum iam dictorum fieri, abſq; ullo ſigno ſenſibili euacuationis: & non ab re: exiccatis enim extremis partibus, exiccatur totum corpus: ſicuti infrigidatis extremis partibus, omnes totius corporis partes infrigidantur. Accidentibus uero timoroſis ex hac linitione ſiue euacuatione apparentibus, illis ſuccurrendum erit de facili, & hoc per remotionem cauſæ extrinſecus applicatæ: quod nõ fieri cõtingit in euacuatione facta ui medicinæ aſſumptæ per os. Et ſi quis mordaci dente de ulceribus in ore euenientibus ex linitione præfata, talem modum euacuandi accuſauerit, taceat, maiorum ſuorum documentis, dicentium in cura ſcabiei antiquæ & ulceroſæ diſenteriã prouocari: ſimiliter in cura ſcrophularum, inteſtinorũ excoriatione apoſtema ſcrophuloſum curari: in paſſionibus oculorum poſteriorem partem colli ignitam acu & ſetone perforari: in magnis cauſis, ut in lepra, uenena intrinſecus exhiberi, quod maius eſt. Quàm miræ & excellẽtis uirtutis exiſtat in præfata ægritudine euacuationis modus linitione extremitatum adminiſtratus, uere, Non mihi ſi linguæ centũ ſint, oraq; centum, ferrea uox, ſufficienter enarrare poſſem. Sed pro poſſe noſtro debili hæc pauca de eius uirtute & operatione ſatis dicta ſint, hoc uno non omiſſo, quod tuum erit ex præfatis euacuandi modis unum in hac dura & ſæua & ultima ægritudine, quod magis cõcedens uideatur eligere, & illum in infirmorum languentium ſubſidiũ afferre. Deueniens modo ad linitionis modum, dicatur quod primo præparent loca in quibus fieri habeat talis illini-

tio, tali præparatione, quod fiat habilior uirtutis linimenti impressio, & cõsequenter effectus exoptatus facilior, uidelicet fomentando manus & pedes. Manus à cubitis & supra cubitos per quatuor digitos usq; ad palmam manus. Pedes à genibus & supra genua per quatuor digitos usq; ad plantam pedis decoctione hac, uidelicet: R. calamenti, origani, menthæ, ruthæ, marrubij, foliorũ lauri, scabiosæ, lapatij acuti, fœniculi, ana manip. i. bulliant hæc in sufficienti quantitate aquæ usq; ad consumptionem tertiæ partis, & stuffentur membra prædicta omni fero circa causam horæ melancholiæ uergentem uersus horã phlegmatis, quum in tali ægritudine multum prædominetur phlegma humori melãcholico admixtum, quod persuaderi potest ex dolore & angustia infestantibus & se mouentibus hora motus humorum peccantium. Nam patientes talem dispositionem ægritudinis incipiunt molestari à doloribus & angustijs circa casum horæ melancholiæ, continuando per totam horam phlegmatis, quia incipiunt molestari à uigesima siue uigesima secunda hora, perdurando per totam noctem, quæ sunt horæ prædictorum humorum. His locis præparatis ad suscipiendas uirtutes linimenti, subsequenter ea pannis lineis calidis abstergantur, & dei nutu inungat infirmus per semetipsum loca fomẽtata, eo in loco calido sedente, utputa inter duos ignes, unguento in extremitatibus digitorum tepefacto, de quo infra. Inunctis his partibus fascientur loca illa cum fascia calida, suprapposita prius stuppa cannabina, cõtinueturq; talis fasciatio donec cõtinuatur talis inunctio, & cõtinuetur talis inunctio usque ad diem quartam siue quintam inclusiue & fortè plus, donec dentes dolere inceperint, siue phlegmata per gingiuas notabiliter dissolui, siue superfluitates peccãtes alia regione sensibiliter seu insensibiliter euacuari, & tunc à tali linitione desistendũ erit. His autem apparentibus abstergantur & mundentur loca inuncta à tali linimento cum panno lineo rudi &

nouo, cauendo infirmum summopere à principio linitionis usq; ad finem curæ à frigore, ita quod non egrediatur domũ donec cessabit fluxus phlegmatis & aliarum superfluitatũ euacuatio: & ne prænominatus euacuandi modus in aliquibus casibus uideatur fallax & mendosus, erit attendendum, quod forti ægritudine apparente, & medicamini tuo resistente, uirtute existente robusta satis, nõ est absurdũ totum corpus stuffari, & linitionem nostram usq; ad humeros & ilia forte & dorsum terminari, subsequenter infirmum pannis calidis inuolutum in molli lecto collocari, & cum sacculis calefacti ordei circundari. Et econtrà uirtute debili existẽte & ægritudine infestãte, ab his iam dictis euacuandi modis erit desistendum, & à leuioribus pro eius cura procedendũ, seu localibus appropriatis, de quibus infra, palliandum: quare æqualiter librando fortitudinem uirtutis & ægritudinis, & liniendi modum inter se, interdum tui honore, linimenti ueneratione conseruatione, infirmi utilitate, nõ erit inutile. Et si quæratur, quęnam post talem inunctionem diæta competat, utrum subtilis & tenuis, an grossa: Respondeo mea sententia, ut suprà dictum est, cum effectus & operationes ex linitione ista consequentes nõ fiant ui medicinæ educentis illum humorem peccantem, sed ui uirtutis expulsiuæ membrorum expergefactæ & irritatæ ad expellendum nocitiua à qualitate talis linitionis, ideo omni posse oportet naturam totius confortare & conseruare, ut confortata & uigorata fiat potẽtior in expellendo nocitiua superflua: & cum à re nulla præstantius & uelocius uirtus confortetur quàm à bono & laudabili cibo & potu, quare in casu erit æger cibandus cibarijs generatiuis boni laudabilis & nõ putrescibilis chymi, uti carne gallinarum, caponum, pullarum iuuenũ, hœdi lactantis, castrati iuuenis, perdicum, fasianorum, auicularum cum rostro subtili, ouis gallinarum coctis, præterquam elixis & frixis. Item potus eius sit uinum suauius quod haberi po-

teſt ſine admixtione aquæ. Tale autẽ uinum eſt naturæ amiciſſimum, & maxime uinum album ſubtile aromaticum, & ad bibendũ ſuaue, & eſt de eo de quo ſanguis & ſpiritus quaſi nullo medio generatur. Ad pleniorem doctrinam euacuationis linitione extremitatum ſuccedentis, cum incidentaliter in ſuperioribus tactum ſit de eius accidentibus unicuiq; intellectui pauorẽ inferentibus, & ſimiliter de eorum cura per remotionẽ cauſæ extrinſecus applicatæ, erunt hæc cõſideranda, uidelicet quæ & quot ſint talia accidẽtia: deinde cum quibus & qualibus ea curanda ſunt. Accidentia connumerantur hæc, uidelicet dentium & gingiuarum dolor; gutturis aſperitas & inflãmatio; phlegmatis ex gingiuis ſuperflua euacuatio, fluxus phlegmatis ex gingiuis, ante tempus reſtrictio, phlegmatis non in ſuo tempore à gingiuis expulſio, maſticationis cibi difficultas, uirtutis debilitatio, uentris conſtipatio, coloris faciei mortificatio. Primum itaq; accidens curetur cum ſucco abſinthij & albo oui ſimul mixtis, ex quibus partes inunctæ inungantur, cureturq; ex lacte ouillo tepido ipſum os colluendo. Secundũ accidens cum melle roſato, melle ſimplici, aqua ordei, aqua lactis. Tertiũ accidens caſtigetur cum bolo arm. diſſoluto cum ſucco lanceolæ, & ex iſto compoſito colluatur os, & eo inungãtur loca inuncta prius, ſiue teneat in ore frigidam aquam ſeu ſuccum ſolatri, & ſic fiet reſtrictio fluxus. Quartum accidens cum maſticatione ſtaphidis agriæ, ſiue thapſiæ, hoc eſt piperinæ. Quintũ uero accidens corrigat̃ cum fomentatione partium quæ prius fuerũt inunctæ, ex rore marino, ſaluia, bullitis in aqua. Sextũ accidens cum diæta ſorbili ex bono brodio cõtuſo, deſtillato, quibus ſi admiſceant̃ cordialia nõ erit inutile. Septimũ accidens deſtruatur cum ſaccharo ro. bugloſſato, boraginato, cibis bonis & cordialibus, epithematibus cordialibus, electuarijs cordialibus, & potib. cordialib. Octauũ uero accidẽs cum clyſtere cõmuni, ſeu ex brodio pulli cũ ſaccharo & uitellis

ouorũ

ouorũ & ſale, & utatur ſaccharo uiolato dum adeſt uentris conſtipatio cum uirtutis debilitate. Nonũ accidens annihilet cum gummi arabico, axũgia urſi, oleo roſato, ana, & miſce totũ cum pauco balſami, & inunganť manus, facies, & tempora, & tunc reddet color naturalis & pulcher. Et hæc breuiter de cura accidẽtiũ dicta ſint. Interroganti uero cauſam, unde eſt quod ex præfato liniendi modo fit ſecundũ plurimũ ſuperfluitatũ euacuatio per ſputũ: licet interdũ per ſeceſſum, ſudorẽ, & urinæ fluxũ. Dicatur, quod exiſtẽte nõ raro materia huius ægritudinis à prædominio phlegmatis, natura ſagax regionem euacuationi phlegmatis, & maxime à capite deſcẽdentis, & ſimiliter humoris curſu phlegmatis expulſi ſi quis fuerit, hanc non rebellem, uidelicet per ſputum, imò ſibi ſolitam & familiarem experta eſt. Siue dicatur, linitionem prædictã ſui proprietate occulta dentibus & gingiuis nocere, & ea debilitare, qua parte debilitata, fit in ea aggregatio ſuperfluitatũ ægritudinem apoſtemoſam conſtituentium, partim per uiam defluxus, partim per uiam congeſtionis: cuius ægritudinis apoſtemoſæ materia coniuncta in aliquibus calore naturali, calori extraneo prædominãte ſuppurať: in nonnullis calore extraneo calori proprio prædominãte corrumpitur, & ſic quicquid ab ea corruptione tangitur, ſimiliter corrumpitur: quare facta in eo loco ſolutione continui, & porta, ex exitura ſiue putrefactione, debilitate adhuc procedente, ut res exigit, fit inde per ſputum ratione hac ſuperfluitatum expulſio, & ſic earum euacuatio. Miror etenim in caſu ſi ita eſt ex hac ſolutione ulceroſa phlegma non alteratũ euacuari, aſſignata interroganti hac cauſa. Nunc autem deſcribenda erit ea linimenti ex intenſione noſtra conſolati deſcriptio, quo inunctis extremitatibus eſt omnium membrorũ principalium corroboratiuũ, membrorumq; illis deſeruientium confortatiuum, necnon membrorũ quibus applicatur uigoratiuum, ſpiritus & animæ dilatatiuum, cun

ctarum uirtutum ſed expulſiuæ maxime, omniũ membrorum ad expellendum nocitiua incitatiuum, ſuperfluitatum peccantiũ continue & ſucceſſiue die noctuq; donec corpus redditur mundũ unica regione ſiue pluribus eductiuũ: R. laridi pulchri non rancidi gladio minutim raſcati unc. viij. gariof. benzuin, ana drach. ij. cinamomi, nucis muſcatæ, ſtoracis calamitæ, ana drac. i. s. corticum citri, croci, ana drach. ij. corticum paradiſi drach. iiij. euforbij ſcrup. iiij. aquæ roſ. unc. vi. ceræ albæ minutim inciſæ, ſed tempore æſtatis, unc. s. lauetur lardo in aqua ſcabioſæ duabus uicibus continuè abijciendo aquam, deinde lauetur tribus uicibus cum aqua roſ. optima eodem modo quo lotus fuit in aqua ſcabioſæ, continue illam aquam abijciendo, poſtea gariofili & alia ſupraſcripta bene puluerizata cũ lardone in aqua roſ. infundantur per diem naturalẽ, poſtremo in uaſe duplici bulliant, utputa per balneum mariæ, obturato bene orificio uaſis uſq; ad conſumptionẽ aquæ roſ. per horam, ultimo per petiam lini ſubtilis colentur & infrigidari permittantur: deinde adde ſibi de mercurio terreſtri quantum infra deſcribitur, in mortario ligneo ducto adeò ut minima pars mercurij tangat minimam partem ſupraſcripti unguenti. Præparetur mercurius hoc modo: R. mercurij terreſtris unc. iij. mercurij ſublimati drach. ij. ſucci citrangulorum unc. s. fellis tauri, ſaliuæ hominis ieiuni q. s. ſubtilietur aliqualiter mercurius cum ſputo, deinde ponatur mercurius ſublimatus in mortario, diligentiſſimeq; conteratur, addendo de ſucco citranguli & alijs ſupraſcriptis: R. laridi ex intentione noſtra præparati unc. vi. mercurij terreſtris in naturam cœlicolæ cõuerſi unc. iij. miſce, & fiat unguentum in mortario lapideo ſiue ligneo per diem integram conterendo, ita quod minima pars unius ſimplicis contingat minimam partem alterius. Forma una unguenti mercurialis ſubſtantiæ tenentis medium inter molle & durum, quod per me cerotum mercuriale denominatur,

natur, cuius officium & operatio erit membrum cui ap plicatur permaxime uigorare, & cunctas uirtutes prin cipaliter membri læsi, & secundario membrorũ quibus tale membrum alligatur irritare digestiuam & expulsi= uam præ cæteris, quod unguentum administrandũ erit hora prima qua ad infirmum perueneris, extensum su per petia una capacitatis magnę, ita quod cõprehendat notabiliter de parte sana membri ulcerati ipsum ulcus ambiente, repleto ulcere prius lichinijs, faldellis empla stratis unguento de quo infra, quod continuandũ erit donec locus penitus cõsolidatus fuerit, cuius descriptio talis est: R. linimenti suprascripti unc. iij. mercurij cœli= colæ unc. ij. ceræ unc. ij. s. terebinthinę unc. s. Alteratur linimentum suprascriptum cum mercurio cœlicola in mortario ligneo cum pistillo suo eodem modo quo su= prà: deinde dissolutis insimul cera & terebinthina in ca zola ad ignem lentum, & ab igne depositis & quasi in= frigidatis detur linimentum mercurio suprascripto ad= mixtum, illius infundendo partem post partem. For= ma una unguenti mercurialis quo lichinia & faldellæ emplastrentur, cuius officium & operatio erit ulcus à suis proprijs superfluitatibus emundare, & subse= quenter non primaria sui intentione, sed secundaria carnem generare: Recipe laridi ex intentione nostra primaria præparati unc. vi. mercurij terrestris unc. iij. aluminis rochini usti drach. vi. corticum thuris pulue= rizati drach. iij. misce. Sint ista connumerata satis de un guentis & cerotis quæ ulceribus appropriata sunt. Et licet quamplura dicta incidentaliter tamen, in de un= guentis mercurialibus uisa sunt, uerũ id non absque ra tione factum arbitrandum est, cum nonnulli ad pau= ca respicientes asserant curationem ueram & ratione comprobatam iam dictorum malignorũ ulcerum un= guentis mercurialibus minime fieri posse, nec ea un= guenta in humano corpore canonice administrari de= bere: qua de re ut præfata & alia clarius elucidentur,

Quæ=

Quærendum erit & primo, utrum unguenta mercurialia pro curanda dispositione iam dicta & alijs in humano corpore administrari habeant? Pro quo dicendũ quod sic, cum Galenus, Auicenna, Mesue, cæteriq; talibus usi fuerint, indiesq; cõmunis medicorum cœtus utatur etiam, & hoc inunctis pulsibus pro curanda scabie. Et si dicatur quod in compositione unguentorum pro curanda scabie mercurius non ingreditur, neq; administratur in tanta dosi, quemadmodum administratur in unguentis pro curãdis ulceribus præfatis, in quibus dosis mercurij satis adaucta est: dicendum, quod sicut non est proportio æqualis inter scabiem & hanc ægritudinem ulcerosam, cum hæc ægritudo sit sæua, & ultima, & mali modi, sic non debet esse æqualis proportio mercurij in unguãto quod administratur ad scabiẽ, & in unguẽto quod administratur ad iam dictam ægritudinem. Vltima quidem seu fortis ægritudo, fortibus seu ultimis indiget adiutorijs pro sui cura.

Quæratur secundo, unde est quod unguenta mercurialia curant scabiem, & præhabitam ægritudinẽ, inunctis pulsibus tantummodo? Dicendũ, quod curant scabiem & præhabitam ægritudinẽ, euacuãdo materiam antecedentem eorum, sicuti dicitur à maioribus nostris de unguento experto ad scabiem ipsius Mesue.

Quæratur tertio, propter quid est, & unde hoc accidat ex talibus unguentis talis euacuatio fieri eo modo quo dicitur? Dicendũ, quod irritando sua qualitate expulsiuã morborum principaliũ, fit talis euacuatio. Inunguntur enim partes ualde & summe principalibus alligatæ, neruis, arterijs, & uenis magnis mediãtibus, sicuti dicitur de unguẽto arthanite Mesue, quod expulsiuã intestinorum stimulando & irritando euacuat.

Quæratur quarto, utrum linimento iam dicto quæcunq; ægritudo de repletione curari posset, quum per nos tot & tanta de eius uirtute & operatione dicta sint? Dicendũ quod sic, dummodo uirtus sit fortis, & ægritudo

do nõ acuta, nec cum malis accidentibus in aliquo tempore ſui proximi cõplicata. Et hoc ideo, cum de facili infirmus in tempore infeſtationis accidentium, & in principio paroxyſmorũ deficere poſſet, natura à tot & tantis infeſtata. Nõne unuſquiſq; magis ſe uno inimico notabiliter lædente poteſt ſe defendere, quàm à pluribus?

Quæratur quinto, utrum membra principalia ex tali linitione ledantur? Dicendum quod non læduntur læſione quæ nõ corrigi ac rectificari poſſit, quũ cauſa poſſit abſcindi & remoueri, quia ſe tenens ab extrinſeco. Necnon quũ poſſint applicari per intus & extra, principalia membra uigorantia & cõfortantia. Et adhuc natura à ſuperfluitatibus exonerata non deficit poſtea in neceſſarijs, quia maxime in uigoratione principalium. Et ſicuti dictum eſt, remiſſe lædũtur, quum mercurij qualitas ſatis ſit refracta & cõſolata, ſi quis diligẽtiſſime conpoſitionem noſtram inſpexerit, uti dicitur de ſcamonia in electuario ſucci roſ. coloquintida, helleboro, agarico, turbit, & in alijs.

Quæratur ſexto, utrũ tale medicamen uenenoſitate participet? Dicendum quod ſic, refracta tamen.

Quæratur ſeptimo, unde eſt quod à talibus ulcerationibus abſoluti, poſt aliquod tempus, utputa per annũ, de nouo in ulcerationes incurrunt? Dicendum, quod non obſeruato debito regimine in ſex rebus nõ naturalibus, multiplicatiſq; ſuperfluitatibus, & ſuperuenienteiterum cauſa ab extrinſeco, tales iterum in ulcerationes incurrunt, ſicuti accidit in alijs ægritudinibus particularibus, ut pleureſi: & uniuerſalibus, ut febre. Cognitum enim eſt experimẽto talem morbũ eſſe cõtagioſũ.

Quæratur octauo, unde eſt quod in aliquibus caſibus curatio redditur mendoſa? nam illa ulcera uidẽtur quaſi exiccari, & in breui tempore reſcindi. Dicendum quod contingit ex ijs uidelicet quod nõ facta fuerit euacuatio completa & ſufficiẽs, ſed incõpleta & diminuta: quia diminute facta fuit illinitio, ſeu quod fortè infir=

mus exposuit se frigido aëri in tẽpore euacuationis, unde materię antecedẽtes obturatis porositatibus & constipatis, non potuerũt exhalare & expirare, quare delegatæ ad locum debilem fuerunt causa recidiuæ.

Quæratur nono, utrum inueniant alia medicamina similem qualitatem habentia, ita quod ex eorum approximatione ad membra, inducant talem euacuationem? Dicendũ quod sic, non tamen à natura prę fati medicaminis denudata ualde, ut suffumigia: quædã enim administratio usitata culpari poterit: & causam considera: pertransit siquidem subtiliata substantia ingredientium suffumigij compositionẽ, immediate super principalia & eis deseruientia.

Quęratur decimo, utrum unguentis mercurialibus eo modo quo dicitur utendum sit? constitutũ enim est, quod nullo modo talia unguenta super principalibus applicanda sint, & cum irritando naturã membrorum principaliũ, irritatio talis nõ possit fieri, nisi uirtus ipsius cadat super principalia, igitur nõ eis eo modo utẽdum est. Dicendum, quod si cadunt super membra principalia, remisse tamẽ cadunt extremis partibus inunctis, & sic uirtus eorum ad principalia remisse accedit.

Quæratur undecimo, utrum sit euacuandum repente, & multum, quemadmodũ faciunt unguenta mercurialia, ut quamplures uerbo uno asseruere? Talis enim euacuatio fallax est & naturæ inimica: paulatina uero certa & uera. Dicendũ quod talis euacuatio non est repẽtina, quare nõ est fallax nec naturæ inimica. Fit enim talis euacuatio actione naturæ potentiam in materiã habentis, ut supponitur, & non medicinæ. Si nanq; fieret actione medicinæ, tunc repentina & multa euacuatio esset fallax & naturæ inimica.

Quæratur duodecimo, utrũ huius ægritudinis ulcerosæ, & maxime cum dolore uigilia complicatæ, negligenda seu differenda sit curatio? Dicendum quod non. Nam dolore infestante, uigiliaq;, & ægritudine (ut com

pertum

pertum eſt) contagioſa exiſtente, indies totum corpus corrupta, maligna, ſeu uenenóſa & ad euacuationem inobediente ſuperflua materia inficitur, humores exacuuntur, innaturalis ſiccitas adducitur, & ſic totum corpus diſſolutum & conſumptũ redditur. Hæc & quantula & qualiacunque ſint, pro uirili noſtri ingenioli, ut noſtrorum deſiderio ſcholaſticorũ ſatisfaceremus, ædidimus, quibus ſi hęc haud ingrata fore cognoueri mus, licet credimus pro iunioribus utilia, nos ad maiora cœlis fauentibus accingemur.

ANGELI BOLOGNINI DE VNGVENTIS LIBRI FINIS.